

et mater. Nam sicut vestimentum generat tineas et nutrit,  
30 ita ignavia non solum gignit ex se desperationem, sed et  
alit et fovet. Ex semetipsis igitur animantur haec pariter  
et augescunt et si alteram quis harum abscidat, altera  
sine dubio interitu perimetur alterius. Istam mihi ergo  
male copulatam bigam disiunge et iugum eius confringe,  
35 iugum autem dico animi iudicium, in quo velut in iugo  
libra vitae pendit humanae. Ubi enim cogitatio animi  
non recte consuluerit, ibi axis vitae rapitur in praeceps ?  
Sed nunc quid dicamus, ausculta : saepe accidit ut per  
paenitentiam quis multa et magna correxerit et inter  
40 haec tamen bona quae per paenitentiam correxit, etiam  
peccata commiserit ; et hoc est quod maxime despera-  
tionem animo inducit, quia videtur sibi destruxisse quod  
aedificaverat et omnes illos labores inaniter effudisse, et  
haec est cogitatio quae praecipue animae pondus despe-  
45 rationis imponit ; sed illud rursus oportet cogitare per  
quod pessima et inimica vitae nostrae cogitatio ista pel-  
latur, quia illa bona quae egimus et emendatio illa quae  
per paenitentiam quaesita est, nisi fuisset et velut contra-  
rium pondus ponderi huic, quod ex peccato nobis intro-  
50 ductum est obstitisset, nihil fuerat quod in profundum  
nos malorum decidere prohiberet. Nunc autem sicut  
fortis quaedam lorica iaculum grave et amarum non per-  
misit usque ad vitalia viscerum penetrare sed vim letalis  
teli maxima fregit ex parte. Certum est enim quia qui fert  
55 secum illuc plura opera bona et plura mala in ipsis poenis  
habebit aliquid refrigerii. Qui autem bonorum operum  
nihil, malorum autem secum multam copiam defert, quid